

torum viscerum hærere & subsistere, sed frequentius simul in vasa ipsis proxima & cohærentia dispergi. Proinde communiter rami venæ portæ & arteriæ cœliacæ ac mesentericæ majores qui ab hepate & liene ad ventriculum & vicina loca tendunt, imprimis vas breve tam arteriosum quam venosum eaq; mesenterii omenti & pancreatis loca è quibus in dicta vasa humores excrementitii facile recurrere possunt, materiam huius mali proximam continent. Quandoq; autem materia hæc vitiosa in vasa dicta regurgitat, & hinc malo hypochondriaco materiam supeditat, cavitas illa quæ in sinistro hypochondrio sub diaphragmate è ventriculi, omenti coli & viscerum connexionu oritur, quæq; adeò conclusa est, ut aquam quoq; imò flatus continere queat. In hac namq; cavitate, mone Sennerto, è vicinis visceribus sæpissimè vitiosi humores coacervantur & pertinacissimè hærant, qui si ibi subsistentes inclusi maneant, ventris rugitibus quidem hominem molestare possunt, interim tamen alia hypochondriacorum symptomata facile non adferunt, nisi, uti dictum, in vasa prænominata effundantur.

XX.

Viscera ergò sunt propriè subiectum morbi: vasa vero enarrata subiectum causæ. Illa sunt primaria causæ morbificæ generationis organa: hæc vero ejusdem principalis sedes. Canales namq; hi potius ad alimentum & humores distribuendos quam alterandos & procreandos à naturâ destinati sunt. Ut interim taceam causam singulis quasi horis humores hisce in vasis immutari. Proinde nisi simul & viscus quoddam ex dictis oblæsum fuerit materiamq; mali subministraverit sola hæc vasa per se adeò diuturnum & contumax malum, quale est hypochondriacum, progignere nunquam poterunt. Siquidem non
adeò